

paucos filios, & quos habuerit morientur. Quando Venus infortunata fuerit à Saturno, & aspexerit partem filiorum ab aliquo angulorum, & non aspexerit eam Iupiter, paucos filios habebit, uel erit sterilis, maxime si cum hoc Luna fuerit infortunata. Quando Saturnus iungitur cum parte filiorum in uno signo, & non aspexerit eos Iupiter, neq; Venus, paucos filios significat, uel erit sterilis. Et si pars filiorum uel Iupiter, fuerint in signis sterilibus, sterilis erit. Pars filiorum, dominus domus filiorum, & Iupiter in angulis, in fortibus locis, & cum hoc in signis aqueis, uel multorum filiorum, significant multos filios. Pars filiorum in ascendente, uel coniuncta domino ascendente, si dominus partis aspexerit eam, habebit filios qui amabunt ipsum, & obedient ei. Quando pars filiorum fuerit in medio coeli, & eius dominus fuerit in bono loco, & aspexerit eam Iupiter, & Venus de signis cōuenientibus signo in quo ipsa fuerit, uel sit pars in domo fiducia, & Iupiter in quinta ab ascendente, significat filios fortunatos in alto gradu, à rege honorem, & bonū habituros. Pars filiorum in domo Saturni, si eam infortunatæ aspexerint, morientur maiores filij. Si fuerit in domo Martis, & eam aspexerint infortunatæ, morientur filij minores. Si fuerit pars filiorum in octaua, nō habebit filios, si quos habuerit, morientur. Et si Saturnus & Mars ibi fuerint, uel aspexerint, filij morientur, postquam magni fuerint, aut ipsi uel maior pars interficientur, uel si fuerit ibi Sol cum eis, uel eas aspexerit, euadent ab interfectione, tamen accident eis occasiones mortis in corpore. Pars filiorum in ascendente, natus amabit filios suos multum. Si in secunda fortunata, filij habebunt diuitias. Et si in tertia, habebunt bonum, & utilitatem à patris, uel consanguineis suis. In quarta, filij multi erunt, habebunt nomina auorum, & auunculorum suorum, & si cum ea fortuna fuerit, & ipsa ibi fortunata, hæreditabunt bona auorum, & auunculorum. Et si cum infortuna fuerit, & ipsa infortunata ibidem capientur, & incarcerabuntur, & eis anxietates, & labores accident, In quinta, erunt uiriles, & prosperabuntur. In sexta, uiuent, & habebunt uictum suum de bestijs, seruis, & seruabus. In septima, odio habebunt patrem, causas & rixas cum eo habentes. In octaua, fortunata, dimittet suis substantiam pater, & ipsi eorum filijs, infortunata ibidem paucos significat filios. In nona, ab infortunis libera, filios iustos habebit. In decima, filij in corporibus suis lædentur, & facient mala facta. In undecima erunt malorum morum, sicut irati rixatores. In duodecima, paucos filios significat, & quos habuerit, fient eius inimici, & eum odijs prosequentur.

Pars temporis filij, cum Iupiter ad hanc peruenerit, uel eam aspexerit, filium dabit.

De sexta domo.



Extia domus significat infirmitates, seruos & seruas, bestiasq; minores qui non equitantur.

Primus dominus triplicitatis huius sextæ domus, si fuerit fortis, ascendens in suo circulo, eleuatus super ascendens, & dominum eius, & ipse per se fortuna fuerit, natus lucrabitur substantiam propter infirmitatem. Si fuerit infortunatus in casu suo, descendens, neq; aspexerit ascendens, natus erit liber ab infirmitatibus.

Secundus dominus triplicitatis si fortunatus fuerit, receptus, & in bono loco ab ascendente, ac habuerit in eo aliquam dignitatem, natus habebit seruos & ancillas &c. Si in statu contrario fuerit, dic contrarium.

Tertius dominus triplicitatis huius domus, si fortunatus fuerit, natus equitabit bestias, & habebit commodum ex bestijs.

Si fuerit pars Azemene in partitione ascendente, & Luna iuncta cum ea, uel dominus ascendente, Azemena erit in membro illius signi, dando ascendens capiti &c. Si hæc pars fuerit supra terram, erit patens, Si sub terra, occulta. Si hæc pars

& eius